

mum occupant locum, quæ humorem quendam serosum in fistulam pulmonalem pro ejus humectatione dimittunt. Eundem in finem tunica Villifii glandulosa intra membranam musculosam cartilagineas asperæ arteriæ colligentem, & intimam valde sensibilem, sita, multis glandulis referta, est efformata. Divisionibus pariter asperæ arteriæ & bronchiorum ramificationibus, plurimæ adhærent glandulæ a Nuckio non tantum notatæ, d. & a Verheyenio numeratæ, qui anat. Tr. III. c. VIII. p. 273. ultra centum in uno subjecto demonstravit. Hæ autem glandulæ ita sunt efformatæ, ut semper lympham plorent, ne sicca nimis aspera arteria & faucium membranæ fiant, cum alias continuo raucedine vel tusi miseri homines vexarentur, quod etiam toto die, si interior superficies asperæ arteriæ exarescit vel saltim lymphæ dulci non sufficienter humectatur, experimur.

VII.

Ubi itaque commemoratæ hæ glandulæ, e suis fontibus, a quacunque data causa, plus humoris fundunt, quam per expirationem consumi & ejici possit, atque ad interiores bronchiorum parietes humectandos est necessarium, & materia, consumto tenui humido, tenax glutinosaque redditur, ibi infarctus & sonora respiratio, quam medici

B

Aphma